

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.**

**Phaedrus**

**Rintelii, MDCCXXXVIII**

**VD18 13044567**

Fab. XVIII. Pauo ad lunonem.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17134**

## FAB. XVIII.

*Pauo ad Iunonem.*

Pauo ad Iunonem venit, indigne ferens,  
 Cantus luscinii quod sibi non tribuerit:  
 Illam esse cunctis avibus admirabilem,  
 Se derideri, simul ac vocem miserit.  
 Tunc consolandi gratia, dixit Dea:  
 Sed forma vincis, vincis magnitudine;  
 Nitor Smaragdi collo praefulget tuo,  
 Pietisque plumis gemmeam caudam explicas.  
 Quo mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono?  
 Fatorum arbitrio partes sunt vobis datae, 10  
 Tibi forma, vires aquilae, luscinio melos,  
 Augurium coruo, laeva cornici omina,  
 Omnes quae propriis sunt contentae vocibus.  
 Noli affectare, quod tibi non est datum:  
Delusa ne spes ad querelam recidat. 15

*Donis gaudeat quisque suis.*

Pauo Iunonem adit, multumque de lusci-  
 niae cantu conquestus, quod Dea sibi negauer-  
 it: auiculam, dicit, illam summis ubique ef-  
 ferri laudibus; se contra despiciatui habitum  
 fastidiri, quamprimum vocem ediderit. At  
 Iuno alitem ut consolaretur suam, tu contra,  
 inquit, forma praestas omnibus, ac insigni cor-  
 poris magnitudine. Tanta collo tuo praeful-  
 get species, quae ipsum smaragdi nitorem lon-  
 ge superat: et quoties lubet versicolorem qua-  
 tot gemmis distinctam oculatamque potes in  
 gyros explicare caudam. Atqui muta species  
 illa quid me iuuare potest? Adeone frustra  
 vide.

videris tribuisse mihi tantam prae ceteris elegantiam formae: cum ea destitutus sim voce, quae genus avium in primis commendat. Ne quis fortiretur omnia solus: sic fuit in fatis, ut in ea donorum distributione consulto suae cuique partes tribuerentur. Tu formae praestantiam obtinuisti. Aquilae honos et maxima vis est. Lusciniae concessa vocis suauitas. Coruus augurium prae se fert, atque cornix laeva omina. Atqui aues istae omnes sua sorte, voce, bonisque contentae viuunt. Res alienas concupiscere noli, quas prima parens natura negauit: alioqui spes vana te fallet, et querelarum caufsa tibi perennis erit.

## FAB. XIX.

*Aesopus ad Garrulum.*

Aesopus domino solus cum esset familia,  
Parare coenam iussus est maturius.  
Ignem ergo quaerens, aliquot lustravit domos;  
Tandemq; inuenit, ubi lucernam accenderet.  
Tum circumveunti fuerat quod iter longius, 5  
Effecit breuius: namque recta per forum  
Coepit redire. Et quidam e turba garrulus,  
Aesope, medio sole, quid cum lumine?  
Hominem, inquit, quaero, et abiit festinans do-  
Hoc si molestus ille ad animum retulit, (mum.  
Sensit profecto, se hominem non visum seni,  
Intempestiue qui occupato alluserit.

*Humanitatis raro videmus praestari officia.*

Cum praeter Aesopum dominus alium non  
haberet seruum, et coenare solito vellet citius:  
ignem

